



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. IV. Qvæ Clerici Perfectio Ex Nomine & primæuo instituto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

QV AE CLERICI PERFECTIO EX NO-
mine & primo instituto

Veri clerici
pars Domi-
nus, & ipse
Domini
pars.

Docet id S. Hier. epist. 2. ad Nepot. cap. 5. & ha-
betur 12. q. 1. c. 4. Clericus, inquit, qui Christi ser-
uit Ecclesia interpretetur primum vocabulum suum, & nomi-
nis definitione prolata, nitatur esse q̄ dicitur, si enim *κλῆρ* &
gracè, sors latinè appellatur: propterea vocantur Clerici, vel
quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, i. e. pars
clericorum est. Qui a. vel ipse pars Domini est, vel Dominum
partem habet: talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Do-
minum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, &
cum Prophetâ dicit Ps. 15. v. 5. Pars mea Dominus: nihil extra
dominum habere potest. Quod si aliud quippiam habuerit præ-
ter Dominum, si argentum, si possessiones, si variam supellecti-
lem: cum istis partibus, Dominus pars eius fieri nō dignabitur.
Si a. ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius non
accipio partes inter ceteras tribus, sed quasi Leuita & Sacerdos
vino de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor,

Sacerdotiū
non sit diui-
tiarum au-
cupium.

habens victum & vestitum his contentus ero & nudam crucem
nudus sequar. Obsecro itaq; te & repetens iterum iterumq; mo-
nebo, ne officium clericatus genus antiquæ militia putes, i. e. ne
lucra sæculi in Christi queras militia: ne plus habeas, quam
quando clericus esse cœpisti & dicatur tibi (Hier. 12. secund.
70.) Clerici eorum non proderunt eis: Nonnulli n. sunt ditiores
monachi, quam fuerant faculares, & clerici qui possideant opes
sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo nō ha-
buerūt, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundos tenuit ante

Ex codris
Crasos ge-
mit plorat-
que ecclesia.

mendicos. Ergo ex S. Hier. sententiâ veri perfectiq; cle-
rici sunt, qui ab Ecclesia habentes alimenta, & quibus te-
gantur, his contenti sunt 1. Tim. 6. ver. 8. & omne tempus
studiumq; suum in diuinum cultum ac proximorum
salutem conferunt.

Probi cleri-
ci vna cura
diuinus
cultus.

S. Consentit prorsus cum B. Hier. & D. Ambr. Epi-
scop. & ipse Ecclesiæ Doctor L. de fuga sæc. c. 2. & ha-
betur

betur 12. q. 1. c. 6. Cui Deus, inquit, portio est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod n. ad alia officia confertur, hoc religionis cultui, atq; huic nostro officio decerpitur. Hæc n. vera est sacerdotis fuga abdicatio domesticorum, & quadam alienatio carissimorum, ut suis se abneget, qui seruire Deo gestit. Fugit ans est suorum, sacri altaris eius minister: vnde Dominus quasi princeps sacerdotum formam Leuitis in Euang. dans suo dixit Mat. 12. v. 48. Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei? Hoc est, non agnosco matrem, non recognosco fratres, ignoro proximos. Mater mea & fratres mei ii sunt, qui audiunt verbum Dei & faciunt: solum ergo verbum Dei nouit minister, cum eos nouit, in quib. operatur verbum Dei. Cum his & congruit S. Isid. Hispalens. Episc. l. 2. de eccl. off. c. 1. Oportet, inquit, qui Deum hereditate possident, absq; vilo impedimento saculi, Deo seruire studeant & pauperes spiritu esse contendant, ut congruè illud Psalmista dicere possint: Dominus pars hereditatis mee. S. Epiph. epist. ad Ioan. Ierosolymitan. Episc. in eo omnes monet ex nomine clericos: oportebat nos, dilectissime, Clericatus honore non abuti in superbiam, sed custodia mandatorum Dei, & obseruatione diligentissima hoc esse quod dicimur.

§. Ex his planum est perperam effutuisse Luth. l. de abrog. Mill. priuata p. 1. q. in Christiano populo nulla sit differentia personarum, nullus clericus, nullus laicus.

§. Sed & hujus sectandæ perfectionis illos admonet vocabulum Canonici. Vox enim Græca κανών *Canonici* Latinis etiam vsupata regulam significat, & Canonici Regularum, ut qui ex diuinæ legis, rectæ rationis atq; Ecclesiasticæ regulæ disciplina se suamq; vitam instituit & componit, quod qui non facit, nomine tenus est Canonici & re ipsa non est. Hinc illa Sapientum dicta: Canonici, qui non vult regi aut dirigi, non est canonici. Si canonici vocamur, & canonicam vitam profesii sumus, Canones à Romana Ecclesia matre nostra nobis datos à quib. etiam vocabulum sumpsimus, amplecti in omnib. & imi-

*Alienatio à
seculari cō-
sanguineo-
rum fami-
liaritate cle-
rico facien-
da.*

*Quæ est
mater mea
& fratres
mei ii sunt
qui audiunt
verbum Dei
& faciunt
solum ergo
verbum Dei
nouit minister
cum eos nouit
in quib. opera-
tur verbum Dei.*

*Oportet, inquit,
qui Deum heredi-
tate possident,
absq; vilo impedi-
mento saculi,
Deo seruire stu-
deant & pauperes
spiritu esse contenda-
nt, ut congruè illud
Psalmista dicere
possint: Dominus
pars hereditatis
mee.*

*Canonici
appellatio
virtutis
monitrix.*

*Hinc illa
Sapientum dicta:
Canonici, qui non
vult regi aut dirigi,
non est canonici.
Si canonici vocamur,
& canonicam vitam
profesii sumus,
Canones à Romana
Ecclesia matre nostra
nobis datos à quib.
etiam vocabulum
sumpsimus, amplecti
in omnib. & imi-*

& imitari debemus. Ideo, inquit Iuo Carnutenf. Episc. decretorum Collector epistol. 202. *Canonici appellati estis, quod Canonicas regulas vos velle obseruare ceteris arctius deuouistis.*

*Canonici
olim Apo-
stolor. imi-
tatores.*

*Trespotissi-
mum causa
cur primis
Christianis
omnia fue-
re commu-
nia.*

§. Hi Canonici olim Apostol. duxere vitam, vnde & Apostol. ordo dictus est. Seruabant enim q̄ primi Christiani, de quib. S. Lucas Act. 2. v. 44. & 45. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnib. prout cuiq̄, opus erat.* Hujus S. communitatis causam assignat S. Chryl. ho. 7. in Actus Apost. q̄ videntes spiritalia bona omnibus communia voluerunt & temporalia communicare. Aliam affert S. Cypr. tr. de opere & elemof. q̄ vigeat calor fidei atq; imitatio Dei nullū arcentis à beneficijs suis. Non dissimiliter S. Hier. ep. 8. c. 7. tribuit calenti adhuc Christi Domini cruori & feruenti recenter in credentib. fidei. Verum potissimam causam affert S. Luc. Act. 4. v. 32. & 35. *Multitudinis credentium, ait, erat cor vnum, & anima vna, nec quisquā eorum qua possidebat, suum aliquid esse dicebat, sed erat illis omnia communia. Diuidebatur a singulis, prout cuique opuserat.* Ex vnione animarum, nascitur externarū rerum communitio, dum quisq; fauet amico, sicut & sibi. *Amicus n. vt dixit Pythag. alter ipse, & amicitia vna anima.* Quoties, ait Arist. *Magnor. Mor. c. 2. volumus vehementer amicū dicere. Vna, inquit, anima mea, & huius.*

*Canonici
olim socia-
lem & com-
munem du-
xere vitā.*

§. Talem quondam vitam agebant Canonici, vt planum est ex Moguntini Conc. constit. c. 9. Tom. 3. Concilior. vbi sic legimus: *In omnibus quoniam humana permittit fragilitas, decreuimus, vt Canonici Clerici canonicè viuant obseruantes diuinæ Scripturæ doctrinam, & documenta SS. Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistrorum incompotè agere presumant. In vnoquoq̄, Episcopatu simul manducant & dormiant, vbi his facultas faciendi suppetit, vel qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt. In suo*

suo clauſtro maneat, & ſingulis dieb. manè prima hora ad lectionem veniant, & audiāt, quid eis imperetur. Ad menſam ſimiliter lectionem audiant, & obedientiam ſecundum Canones Magiſtris ſuis exhibeant. Simile eſt decretum Conc. Turonenſ. c. 23. Canonici, inquit, & clerici ciuitatum, qui in Episcopis conuerſantur conſideramus, vt in clauſtris habitantes, ſimul omnes in vno dormitorio dormiant, ſimulq; in vno reſectorio reſciantur, quo facilius poſſint ad horas Can. celebrandas occurrere, & de vita & conuerſatione ſua admoneri. Victum & veſtimentum iuxta facultatem Episc. accipiant, ne paupertatis occasione compulſi per diuerſa vagari ac turpibus ſe implicare negotiis cogantur. Eadem habet Syn. Aquilgr. c. 117. & Leo IX. 12. q. 1. c. Neceſſ. res. Neceſſaria, inquit, res exiſtit, vt iuxta Eccleſiam clauſtra conſtituantur, in quib. Clerici eccleſiaſticis diſciplinis vacent. Itaq; omnibus vnum ſic reſectorium ac dormitorio, ſeu cetera officina ad vſus clericorum neceſſaria. Miniſtri vero poſt Episcopos ſuper eos eligantur, quorum vita atq; doctrina illos potius exornet, quam dehoneſtet. & diſtin. 32. c. Præter hoc Alexander II. qui anno plus minus centeſimo ſupra milleſimum vixit, mandat, vt Subdiaconi, Diaconi Sacerdotes iuxta eccleſias (ſicut ait, oportet religioſos Clericos) ſimul, manducent & dormiant, & quicquid eis ab eccleſia competit commune habeant.

Rationes,
cur Eccleſi-
aſtici con-
uixerint.

Maxima
quondam
felicitas ca-
nonicorum
vna viuen-
tium.

§. Quam beati tunc temporis Canonici, q̄ felices Clerici intra Eccleſiæ ſepta habitantes, nec vllam periculofarum diſcurſationum, mundanarum occupationum, celebrandarum comporationum, agitandarum commeſſationum, conueniendarum muliercularum, exercendarum graſſationum, libidinum, turpitudinum occaſionem habentes, ſed diuinis tantum contemplationibus, laudibus, precibus, concionibus, officijs, cantibus, ſacrificijs vacantes, & tanquam angeli quidam terreſtres in paupertate, caſtitate & obedientia degentes, & ſolum Dei gloriam, & ſuam aliorumque ſalutem procurantes.

§. Hos

Alterū ca-
nonicorum
genus spor-
tulantes.
Quid spor-
tula.

§. Hos tamen præter clericos facere, quod non communē cum aliis, sed separatam agerent vitam, sub Pontificis tamen sui imperio, à quo & ecclesiæ opibus sustentabantur. Hos S. Cypr. epist. 66. Sportulantes appellat fratres à nomine sportula Suetonio & Martiali usurpato. Sportulæ v. siue sportula dicebatur Romanis distributio pecuniaria siue obsonium quod pauperibus clientibus & saluatoribus dabatur à diuitibus aut populo vel principe. Est & titulus Iuris in Cod. de sportulis & sumptu in diuersis iudicijs faciendis, quas sportulas valde quidam usurpant Iureconsulti. Vtitur a. ea voce S. Cypr. pro certo vitæ stipendio quod singulis Clericis per menses aut dies singulos ab Episcopis distribuebatur, idque ex quarta illa bonorum Ecclesiæ parte, quæ cleri erat: nam prima erat Episcopi, altera templi, tertia pauperum, ecclesiasticorum postrema. Et quidem pro singulorum meritis certa numerorum quantitas, alijs maior, ut presbyteris, alijs minor ut Diaconis tribuebatur, quemadmodum satis insinuat B. Cypr. ep. 34. sub fin. & Theophyl. in dictum Apost. 1. Tim. 5. v. 17. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina.*

S. Aug. &
eius secta-
tores Apo-
stolica am-
plexi pau-
pertatem.

§. De utroque Clericorum ordine S. Aug. serm. 1. & 2. de communi vita clericorum qui sunt tom. 10. serm. 49. & 50. de diuersis. Et quidem serm. priore in hunc modum loquitur. *Presbyter factus sum, & per hunc gradum perueni ad episcopatum. Cæpi boni propositi fratres colligere pertatem. compares meos nihil habentes, sicut nihil habebam, imitantes me: ut quomodo ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent illi, qui mecum esse voluissent, ut de communi viueremus. Commune a. nobis esset magnum & vberimum prædium ipse Deus. Volui habere in ista domo episcopali mecum monasterium clericorum. Ecce quomodo vivimus: Nulli licet in societate nostra habere aliquid exclusivè proprium, sed forte aliqui habent: Nulli licet: Si qui habent, faciunt*

Proprieta-
tem à suis
exclusivè
Augst.

faciunt quod non licet. Pergit S. Aug. & habetur 12. q. 1. c. 18. certè ego. Certè ego, ait, qui statueram sicut nostris nulum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere: vt si vellet discedere à proposito, rectè illi tollerem clericatum: quia desereret sanctæ societatis promissum, ceptumq; consilium: Ecce in conspectu Dei & vestro nullo consilium. Qui volunt aliquid habere proprium, quibus non sufficit Deus, & ecclesia sua, maneat, vbi volunt, & vbi possunt, non eis aufero clericatum. Non dissimilia habet idem S. Aug. serm. posteriore de communi Clericor. vita. Similiter B. Prosper Aquitanicus Regiensis Episcopus, S. August. perpetuus sectator l. 2. de vita contemplativa cap. 11. Clerici, inquit, quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, siue in domibus suis, siue in congregatione viuentes accipiunt, quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit necessitas. S. Greg. M. ad primam interrogationem Augustini Angliæ Archiepiscopi, & habetur 12. q. 2. c. 30. Mos est. Mos, ait, Apostolica sedis est ordinatis Episcopis præceptum tradere, vt ex omni stipendio, q; accedit, quatuor debeant fieri portiones. Vna videlicet episcopo & familia propter hospitalitatem & susceptionem, alia clero, tertia pauperibus, quarta ecclesiis reparandis. Sed quia tua fraternitas monasterii regulis erudita seorsim viuere non debet à clericis suis in ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituire conuersationem, quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit patrib. nostris, in quibus nullus ex his, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis oia cõmunia.

Ecclesia pro
uentus in
quatuor o-
lim partes
tribuit.

In Angliæ
communè
auxere vi-
tam clericor.

Quod Clerici quondam Apostolicam & perfectissimam duxerint vitam, cuius adhuc expressa extant vestigia.

CAP. V.

CHRISTVS DOMINVS PERFECTISSIMAE
vitæ exemplar.

§ Citis gratiam D. N. Iesu Christi: quoniam cum dives Christi li-
beraretur, propter vos egenus factus est, vt vos illius inopia di-
uites paupertas.